AUTHOR:

HYPERIDES

TITLE:

HYPERIDIS ORATIONES QUATTUOR CUM ...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1881

Master Negative #

91-80278-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88H98 Works 1881
IE81 **Hyperides**
Hyperidis Orationes quattuor cum ceterarum fragmentis edidit Fridericus Blass. Editio altera.
Lipsiae, in aedibus Teubneri, 1881.
xliii,119 p. 18 cm.

155586

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/23 INITIALS BG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: Hyperides
____

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _______________

_____ Volumes(s) missing/not available: _______________

_____ Illegible and/or damaged page(s): _______________

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: _______________

_____ Bound out of sequence: _______________

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: UC Davis
XXVI - XXVIII, XXX, XXXVIII, 99-110

_____ Other: _______________





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

HYPERIDIS

ORATIONES QUATTUOR

CUM CETERARUM FRAGMENTIS

EDIDIT

FRIDERICUS BLASS.

EDITIO ALTERA.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

HERMANNO SAUPPIO

PIETATIS CAUSSA

Praefatio editionis alterius.

§ 1. Hyperidis orationum sat magnam partem cum locupletibus scholiis etiam XVI. saeculo Budae in bibliotheca Matthiae Corvini regis exstitisse memoriae traditum est; sed antequam inde in lucem prodirent, capta urbe a Turcis a. 1526 bibliotheca illa neglecta periit. Salvusne sit Hyperidis codex an iniqua fortuna absumptus sit, nunc nescimus, neque magis de ceteris qui alibi exstitisse incertioribus rumoribus feruntur, quicquam compertum habemus.*) Plura fortasse aliquando sciemus, si bonae fortunae placuerit magis etiam memoriam clarissimi oratoris resuscitare, quam proximis lustris fecit insperantibus omnibus. Nemo enim unquam opinatus **Codices Hyperidis deperditi.**

*) De his rebus omnibus cf. Kiessling. Comment. de Hyper. I p. 9 (140); Babington. Journal of classical and sacred philology I p. 407; H. Hager. Quaest. Hyperid. (Lipsiae 1870) p. 1 et 76. — De illo codice Budensi I. A. Brassicanus tradit: „vidimus," inquit, „integrum Hyperidem cum locupletissimis scholiis, librum multis etiam censibus redimendum". — In Gesneri biblioth. editionibus quae post a. 1545 prodierunt s. v. Hyperides legitur: „Hyperidis fragmenta quaedam orationum exstant apud Paulum Bornemiza episcopum in Hungaria" (h. e. in Transilvaniae oppido Alba Iulia, quod hodie Karlsburg nominatur). — Io. Taylorus porro in praef. ad Demosth. (Schaefer App. crit. I p. 102) describit codicem membranaceum, in quo infuerint „antiquorum rhetorum selectae orationes, ut Demosthenis, Aristidis, Himerii, Hyperidis, Libanii"; eum codicem in possessione Iacobi Harris Sarisberiensis fuisse. At iure Kiessling.: „quid, si Hyperidis nomen ortum sit ex Himerii sive Libanii declamatione Hyperidia?"

est, fore ut sepulcra illa quae prope Aegyptias Thebas deserti montes continent, haud contemnendam partem Hyperidis operum nobis redderent.

Volumina in Aegypto reperta.

§ 2. Ingentem vim voluminum papyraceorum in Aegypto passim per sepulcra domuumve ruinas inventam esse invenirique notum est, sed eorum longe maxima pars libellos vario argumento de privatis rebus conscriptos continet, pauca admodum admixta sunt operum scriptorum vetustorum exemplaria. Illarum regionum incolae Arabes, postquam animadvertere volumina quoque illa a peregrinis in pretio haberi, diligenter conquirunt et inter ceteras res venditant. Exstitit igitur in sepulcro quodam Thebarum volumen papyraceum Hyperidis tres orationes continens, quod patefacto sepulcro ab Arabibus circa principium anni 1847 inter cetera inventum elatumque est.*) Habitabat illic inter ruinas vetustae urbis Castellarius quidam homo Italus, qui Arabes assuefecerat quaecunque invenissent ad se deferre, inde pretio exiguo eis soluto peregrinantibus eadem magno venditabat. Itaque cum vere anni 1847 A. C. Harris Britannus, qui Alexandriae domicilium constituerat, Thebas venisset, a Castellario, quem sane ipse non nominat, triginta duo fragmenta maiora minorave accepit, continentia illa reliquias orationis contra Demosthenem priorisque partis eius quae pro Lycophrone habita est. Sed haec fragmenta alterius tantum partis voluminis erant, misere habitae foedeque dilaceratae; altera pars et integra manserat neque in manus Castellarii venerat. Iosephus enim Arden, iureconsultus Britannus, cum Cal. Ian. a. 1847 Thebas venisset et ultra etiam processurus, dein Thebas reversurus esset, Arabes commonefecerat ut si qua interea invenissent sibi reservarent; unde illi maioris pretii spe inducti amplum illud volumen Castellarium diligenter celaverunt, redeuntique Ardenio noctu clam

*) De his conferas praefationes editionum Britannicarum, Ardenianae maxime, ubi diserte narrantur quae a me obiter indicata sunt.

Italo trecentis et quinquaginta nummis Turcicis vendiderunt. Sciscitanti tamen, ubi inventum esset, callidi homines numquam locum prodere voluerunt, neque aliud indicarunt quam circa locum qui Gournou dicitur in lignea arca sepulcrali inclusum repperisse. Volumen ab Ardenio in Britanniam asportatum, ubi diligenter evoluto cognitum est orationis pro Lycophrone posteriorem partem Euxenippeamque integram inesse. Nondum tamen copias Thebanas exhaustas esse tempus patefecit. Anno enim 1856 tertius Britannus H. Stobart ex peregrinatione Aegyptiaca alius voluminis, quod orationem funebrem Hyperidis continuerat, fragmenta in patriam secum attulit, quae a tabernario quodam Thebis habitante, quem eundem Castellarium esse putaveris, empta referebat. Praeterea parvula fragmenta prioris illius voluminis inter Ardenii varias schedas Babington investigavit, alia Parisios ad Michaelem Chasles devenerunt, quae Eggerus a. 1868 edidit; reliqua perisse vel hic illic per Europam Aegyptumve latitare putandum est.

Editiones Hyperidis.

§ 3. Primus Harrisius anno 1848 fragmenta sua lithographica arte diligenter expressa oculis hominum doctorum subiecit eorumque studia magna excitavit. Eodem tempore in Germania Sauppius Boeckhiusque, neque multo post in Britannia Samuel Sharpe et Churchill Babington, vir de Hyperide imprimis optime meritus, operam in eis legendis componendis adornandis collocaverunt. Anno deinde 1853 Ardenius suum volumen edidit, splendidius etiam magnificentiusque quam Harrisius fecerat lithographi arte expressum, colore quoque papyri rimisque omnibus summa diligentia effictis; adiunctus erat commentarius Babingtonis locupletissimus ceteraque quae ad orationes legendas perpoliendas restituendas pertinebant ab eodem diligenter confecta. Integra quae iam prodierat oratio simulque ampla alterius pars multo maius etiam studium ubique evocaverunt: editorem Britannum secuti sunt in Germania Schneidewin et Caesar, in Batavia Cobet, apud Suecos quoque Linder et in Italia Comparetti, qui partim utramque orationem,

partim Euxenippeam solam emendatiorem integrioremque reddere studuerunt. Denique anno 1857 oratio funebris ab eodem Babingtone parique splendore atque illae duae edita est; quam postea recensuerunt Sauppe, Kayser, Tell in Germania, apud Batavos Cobet, porro Italus idem Comparetti et Francogalli Dehèque et Caffiaux. Multi praeterea homines docti orationibus Hyperidis operam navarunt, quorum enumerandorum postea locus erit; nunc de voluminum ipsorum forma rationeque omni, simul aetate indole auctoritate quam brevissime potero absolvam.

Descriptio voluminis A.

§ 4. Itaque volumen illud quod ab Harrisio Ardenioque inventum est, quodque A littera postea signabo, papyrum melioris notae habet omninoque cum cura satisque eleganter confectum est. Margo infra supraque et spatium commodum inter binas columnas; versus recte decurrunt; columnae longitudine inter se satis aequabiles. Numerus versuum in singulis columnis ita variat, ut neque plus triginta sint neque minus viginti septem; versus ipsi litteras continent nusquam fere plus XVIII, nusquam minus XIII. Litterae omnes in universum eadem sunt magnitudine; capitalium quae dicuntur nullus usus. Ductus non ita pingues et omnino satis elegantes; claram scripturam vel magnitudo litterarum facit. Litterae C et Є rotundam formam habent, et huius media lineola summae quam maxime admota coniunctaque; M quoque rotundioribus ductibus exaratum; porro Ω eadem forma est qua in nostra cursiva quae dicitur scriptura. In litteris Λ et Δ postremus ductus aliquantum prominet, pariterque in A, ubi ceteri ductus in formam laquei redacti. B litterae infra linea satis crassa in utramque partem producta affixa est; Ξ mediam lineolam cum exterioribus duabus in nostrum modum coniunctam habet, nisi quod sinistrorsum arcus spectant; porro ibi quoque infima linea longitudine notabilis. Denique Ψ crucis figuram monstrat. Frequenter litterae inter se colliguntur, transversis lineis earum quae sunt Γ Τ Π Η Є Θ usque ad proximam litteram productis, id quod claritati

aliquantum officit. Quae corrector addidit, multo minoribus litteris exarata; inscriptio Euxenippeae indexque totius voluminis prorsus aliud valde intricatum lectuque difficillimum scripturae genus monstrant. Accentus spiritusve nusquam apponuntur, exceptis tribus locis in Euxenippea, ubi ἡγοῦ in textu, ἧι et ἃ a correctore adscripta spiritu aspero signata sunt; unum tantum huiusmodi signum frequentius usurpatur, quod in initio syllabarum iota et semel bisve ypsilon quoque punctis duobus notatur: itaque ϊδιον, ϊππαρχος, ϋπερ scriptum est, eodemque modo εισ]ϊηc, τουτουϊ, ουτοcϊ. Quod et in aliis codicibus antiquis factitari editores adnotaverunt; atque inde recentiorum consuetudo fluxit, ut omnino eae litterae punctis augerentur. — Verborum singulorum nulla divisio; versus cum vocabulis pariter excurrere nulla necessitas; at in syllaba semper finiri Boeckhius primus perspexit. Si artius spatium, librarius litteras minores facit vel etiam versum paullulum producit; est quoque compendium unum scripturae syllabae ων, quae in fine versuum saepe Ω littera et supra eam linea transversa in dextram ducta scribitur. Contra sicubi spatium superat, signum adhibetur etiam in voluminibus Herculanensibus aliisque libris antiquissimis usurpatum, hac forma: 7. Ceterum in dirimendis syllabis sunt in quibus librarius parum sibi constet: modo ει|caγγελιαc, ε|ξηλεγξα, α|ναπογραφων, etiam ἐ|να[ῖc, modo, idque multo saepius, ειc|αγγελια, cυν|ηγορουc, προc|ηκεν scriptum est; cumque semper exstet α|πεcτελλετε, υ|πελαμβανεc, non solum ταῦ|τ᾽ οὐχ, ὑ|φ᾽ ὑμῶν, ἀλ|λ᾽ ἐκ, sed etiam τοῦθ᾽|ἡμῖν et οὐδ᾽ | ὅcτιc invenitur. Οὐ|κ ἐποίηcαc, οὐ|κ ἂν scribi non mirabitur, qui meminerit οὐκ᾽, οὐχ᾽ (i. e. οὐκ(ί), οὐχ(ί)) et praecepta esse a quibusdam grammaticorum et adhuc scripta inveniri.*) Porro bis in mediis vocabulis C ab insequente consonante divellitur: ἐπικοc|μῆcαι, προδεδανειc|μένοc; alias semper ἀναγινώ|-

*) ΟΥΚ᾽ exstat in Sapphus fragmento Berolinensi VIII. fortasse saeculi, quod edidi Mus. Rhen. 1880 p. 287.

cκειν, ἑκά|cτοιc et ad hanc normam cetera. Interpunctionis ea ratio est, ut ubi insistat diutius oratio vacuum quantumcunque spatium relinquatur, deinde eius versus principio lineola transversa supponatur, quae tamen saepissime, in minoribus praesertim distinctionibus, etiam omissa est. Quam lineolam et in altero Hyperidis aliisque papyris*) et in inscriptione Tegeatica quarti fortasse a. Chr. saeculi**) eadem ratione adhibitam ipsam illam παραγραφὴν sive παράγραφον esse constat, quam primus commemorat Aristoteles.***) Notabile interpunctionis exemplum est in oratione contra Demosthenem: οἱ δ᾽ ἀντὶ τοῦ ἀποδόντεc ἃ ἔλαβον ἀπηλλάχθαι — τιμωρίαc καθ᾽ αὐτῶν καὶ ζητήcειc ἔγραφον: scilicet noluit librarius τιμωρίαc tamquam genetivum cum ἀπηλλάχθαι coniungi. Omnino interpunctum non sine diligentia et in quibusdam locis paragraphos non recte posita cancellis circumscripta est. — Correctoris manum liber ubique cum magno fructu est expertus. Signa haec sunt: delenda littera vel transfigitur vel puncto superposito notatur; omissa supra versum loco debito apponitur; in mutandis utrumque fit. Semel in Euxenippea versus totus omissus et supra columnam additus: ubi deest, ante columnam ductus brevis rotundus, post eam $\overset{\nu}{\alpha}$, hoc est ἄνω (vide supra) appictum, ante versum ipsum idem ille ductus, post $\kappa\overset{\tau}{\alpha}$, quod κάτω (vide infra) interpretandum est. Semel totus versus male iteratus, semel etiam plus quam quattuor versus: ille uncis rotundis inclusus, haec punctis supra singulas litteras positis notata sunt.

---

*) Ut in Chrysippeo, Alcmanico, etiam privatis quibusdam scriptis (v. Notices et extraits de manuscripts XVIII, 2 nr. 49; Gardthausen Palaeogr. p. 273).

**) V. Bergk. Ind. schol. Hal. 1860/1; Michaelis Annal. Fleckeis. 1861 p. 585.

***) Aristot. Rhet. III, 8: δεῖ δήλην εἶναι τὴν τελευτήν, μὴ διὰ τὸν γραφέα (qui versum finiat vel vacuum spatium relinquat), μηδὲ διὰ τὴν παραγραφήν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν. cf. etiam Harpocr. s. v. παραγραφή et Ath. X, 453 CF.

§ 5. Accedimus ad orthographiam codicis, quo in genere complura notanda habet. Primum iota quod mutum dicitur quodque illa aetate revera prorsus obmutuerat, summa libidine vel omittitur ubi poni debebat vel ubi locum nullum habet ponitur: itaque περιήρημαι, τῆ, πολέμω, rursusque πλείωι, ἐπιεικῆι, ἤδηι, ἀλλάι, δικαcτήριαι, ἐγώι, ἠτήcωι scripta reperimus. Scimus porro in Aegyptiis aliisque proximorum iam ante Christum saeculorum monumentis iota longum et ει diphthongum prorsus confundi, neque πολείτηc solum et νεικᾶν, sed etiam ἰμί adeoque ἐcτείν in privatis certe Aegyptiis libellis persaepe exstare, id quod et ipsum e pronuntiandi ratione repetendum, quae ει diphthongo, nisi ubi vocalis insequebatur (nam Ἀλεξάνδρηα et Πληάδα scribunt) iota simplicis vocalis sonum tribuerat. Huius generis in Hyperidis libro reperiuntur προδεδάνιcται, μιρακίων, ἐκλελιμμέναι, μεικράc, βέλτειον, ἀφειγμέναc, aliaque exempla circiter viginti. Quod in istis libellis etiam ε et η, ο et ω, raro οι quoque et υ et paullo saepius αι et ε confunduntur, earum rerum non exstant nisi perpauca vestigia, si quidem scriptura ακουειν κελευειν pro ἀκούειν καὶ κελεύειν inde explicanda, quod librarius voculam istam κέ pronuntiabat.*) — Id quoque non omittendum, extremae litterae praepositionum ἐν et cὺν in vocabulis compositis legitimas mutationes saepe neglegi. Pronuntiabatur sine dubio cυγχωρεῖν et cυλλαμβάνειν, sicut in Latina lingua „imperator“ et „attollere“; sed in scribendo alii praepositionem sequenti litterae accommodabant, alii genuinam formam ei relinquebant. Itaque hic librarius, quamquam aliquoties ἔγκλημα et cυλλήψει, saepius tamen ἐνκαλεῖν et cυνκατηγορεῖν et cυνλέξειν scribit, etiam cυνcκευάζεcθαι, in quo apud nos, sicut in ceteris, altera ratio evicit. Contrarium plane accidit in ἐκ praepositione, quam nos semper κ littera, sed Hyperidis librarius ante δ, ubi revera sonus emolliebatur, aurem suam secutus ea quae est Γ con-

Orthographia voluminis A.

---

*) V. etiam quae adnotata sunt ad or. III, col. XXI, 22.

stanter scribit. Quae ratio cum perinde iusta et antiquitus usitata sit atque ea quae est in συλλέγειν et ἐγκαλεῖν, retinendam eam iudicavi. Ἐκλελιμμέναι semel totiesque ἐγλειπομένην reperitur: nempe ante liquidas quoque scribebant ἐγ, quum pronuntiarent alterutro γ litterae sono. — Porro N ἐφελκυστικόν quod dicitur ante vocalem diligenter additur: sed frequenter etiam ante consonantem, ubi noster usus, diversus ab antiquo inscriptionibus quoque confirmato, in pedestri certe oratione prorsus respuit. In fine enuntiati librarius ν istud ex libidine vel omittit vel addit. Hiatus porro, etiam illi qualis est in διὰ ἄλλον, saepe elisione vocalis removentur, saepe etiam tolerantur, quod et ipsum orthographiae magis quam linguae esse puto, cum nemo aliter ac δι' ἄλλον diceret. Pertinet et hoc ad accommodationem vocabulorum alterius ad alterum, quam accommodationem in inscriptionibus multo etiam latius patere notum, ut ἱερῶγ χρημάτων et τὸλ λόγον aliaque plurima hoc genus scribantur; sed talia ab hoc libro manuscripto prorsus aliena sunt.

Fortunae voluminis A. § 6. De fortuna autem qua volumen A usum est haec addenda videntur. Harrisius sua fragmenta chartae agglutinata in undecim tabulis marginatis inclusit, ordine fortuito. Diu apud se habuit; sed post eius mortem curatores Musei Britannici ea emerunt, atque in eo Museo nunc exhibentur. Ardenii volumen, postquam evolutum agglutinatum in forma lignea inclusum est, per multos annos in villa senis venerabilis, quae est in loco qui „Rickmansworth Park" vocatur, insigne atrii ornamentum fuit; quippe non exstat usquam terrarum papyrus Graecus qui hunc longitudine aequet. Sed postquam Ardenius hac vita excessit, uno eodemque die et hoc volumen et clarissimum Bankesianum Iliadis a Musei curatoribus emptum est. Itaque quae dissipata erant iam maiorem partem rursus convenerunt.

Fortunae statusque voluminis A^1. § 7. Orationis funebris codex A^1, cum in Britanniam portatus est, in XV fragmenta discerptus erat; at Babingto primus editor et sollertia usus et

acumine id effecit, ut sex tantum essent particulae earumque ordo praeter unam minutissimam certo constitutus. Neque quicquam reliqui ille fecit eis qui eum secuti sunt editoribus, nisi ut duo prima fragmenta, quae diversarum columnarum esse putaverat, ad unam columnam efficiendam coniungerentur. Tertium fragmentum secundo continuatur, columnas quattuor quintaeque partem complexum; inde continuo quartum excipit, in quo et illius columnae maior pars et aliae quinque exstant. Extrema sane columna, undecima numero, ab initio usque ad finem nimium quantum mutilata est, neque haec pars eius usquam comparet. Quintum fragmentum insequentes duas continet; reliquae cum epilogo orationis periisse videntur. Nam sextum quidem fragmentum, quod sive ad harum aliquam sive ad undecimam pertinuisse putandum est, XI est litterarum; aliudque postmodo inventum nequedum a Babingtone editum VII litteras habet. Ceterum coniunctis quae coniungenda erant, ordine collocatis omnibus, explanatum volumen chartaeque caeruleae immissum, deinde vitro ab utraque parte ligneaque forma munitum in Museo Britannico repositum est.

De partibus deque tergo voluminis A^1. § 8. Ideo autem sextum fragmentum ad posteriorum columnarum aliquam pertinuisse affirmo, quod chartae genus prioribus id adscribi vetat. Namque inde ab XI. columna fibrae non rectae ut antea sed transversae decurrunt, neque cuiquam qui papyrum inspexerit dubium esse potest, quin ex duabus chartis diversis conglutinatus sit. Id autem quanti momenti sit statim apparebit. Est enim opisthographus, suntque in postica eius parte scripturae cuiusdam astrologicae columnae sex, quarum capita imis Hyperidearum partibus ex adverso posita sunt. Itaque prima illa duo fragmenta codicis, quae coniungenda esse dixi, ab altera quoque parte primam columnam habebant; tertium quartumque fragmentum reliquas habent; sed quintum eaque quarti pars, in qua XI. Hyperidis columna scripta est, a tergo omni scriptura vacant. Ita ex duabus chartis, e quibus

constat volumen, altera tantum ὀπιϲθόγραφοϲ est. Accuratius quum inspexeris, videbis e sex posticae partis columnis ultimam mirum in modum coangustatam esse, ut alterutrum tibi sumendum sit: aut defecisse spatium eum qui scripserit, aut eius columnae partem aliquam abscisam sive alterius chartae agglutinatione inductam esse. Inde autem necessario consequitur, eo tempore quo haec astrologica scripta sint duas chartas nondum coniunctas fuisse, et in eius demum usum eas esse coniunctas, qui Hyperidis orationem scripserit. Quod sane non potest non maxime mirum esse. Quid enim? putabimusne fuisse aliquem librarium, qui quum foro mercatuique destinatum librum conscripturus esset, in eum usum chartam maculatam sibi sumeret et tamen emptorem se inventurum speraret? Profecto non putabimus. Quis igitur hanc orationem scripsit? Dicam quod sentio; sed video et de astrologica illa scriptura parum adhuc dictum esse et Hyperidei libri descriptionem prius absolvendam.

Astrologica in tergo voluminis A[1].

§ 9. Itaque sex illae alterius partis columnae a duabus manibus diversis confectae sunt. Incipit altera manus in quartae columnae ima parte, scripsit autem lingua Aegyptiaca, litteris maximam partem Graecis, admixtis quibusdam Aegyptiacis in Copticum morem, ita tamen ut Coptica ea scriptura non vocanda sit. Plura de ea qui scire concupierit, inveniet in Lepsii annalibus qui vocantur „Zeitschrift für aegyptische Sprache", a viro docto C. W. Goodwin exposita (vol. VI, a. 1868, p. 18 sqq.: „on an Egyptian text in Greek characters"). Pauca ibi Graeca interspersa sunt, velut in col. V: τρίτοϲ χρόνοϲ ὁ τοῦ Διὸϲ χρηματίζει (h. e. „vocatur"), et ibidem paullo post: δ̄ χρόνοϲ .... χρηματίζει. Contra priores columnae Graeca lingua utuntur, nominibus Aegyptiacis hic illic interpositis, quae eadem fere litteratura de qua modo dixi scripta sunt. Primae columnae quod superest charta recenti nunc maximam partem inductum est; in secunda tertiaque continuatur genitura hominis nescio cuius. Alia deinde excipiunt

quae et ipsa astrologicam doctrinam referunt, neglegentioribus ductibus sed tamen ab eadem ut mihi videtur manu conscripta; haec et tertiae columnae partem et longe maximam quartae complent. Sed permulta ibi legi omnino non possunt, quia humore scriptura corrupta est; accedunt lacunae haud exiguae, quibus ne II. quidem columna caret. Specimen tibi esto II. columnae principium haec verba exhibens:

Φαίνων. Τὸν τοῦ Κρόνου εὑρίϲκομεν τὴν κείνηϲιν ποιούμενον ἐν παρθένωι, μοίρηϲ ᾱ, οἴκου Ἑρμοῦϲ, ὑψώματι Ἑρμοῦϲ, ταπινώματι Ἀφροδείτηϲ, ὁρίοιϲ Ἑρμοῦϲ· οὗ τὸ δωδεκατημόριον ἐν παρθένωι, οἴκωι Ἑρμοῦϲ· τῶν δὲ λ̅ϛ̅ ὡροϲκόπων οὗ ὄνομα Ετϥε, τῶν δεκανὸϲ β̄ οὗ ὄνομα ...... ϯη βικωτ —

§ 10. Ad Hyperidis orationem funebrem revertor. Itaque librum multo deterioris notae esse quam eum qui iudiciales orationes continet facile perspicitur. Iam ipsius papyri genus longe ab illius bonitate distat; tum scriptura inaequabilis et longitudine ac latitudine columnarum et versuum densitate et litterarum magnitudine. Puto librarium pro orationis ambitu non ita amplum volumen habuisse; quare quum animadverteret spatium vix suffecturum esse, coactus est omnia in artius constringere neque marginibus parcere, cumque primam columnam XXXIV, alteram tertiamque tricenorum ternorum versuum fecisset, in proxima XXXVIII, dein XL, dein XXXIX, in ultimis duabus quadragenos quaternos facere. Singulas columnas satis exiguum spatium discernit, eoque ductus crassi singuli binive dirimendi causa additi. Numerus litterarum in singulis versibus adeo fluctuat, ut et in eadem columna modo quattuordecim sint, modo viginti quattuor, et in quibusdam usque ad unam et triginta litteras librarius progrediatur. — Scriptura crassioribus ductibus est quam in altero codice litterisque minus in latitudinem extensis neque tam crebro colligatis; quare in universum clarior evasit; at nulla in ea facilitas, nulla elegantia. Formae litterarum eaedem ferme, nisi quod angustiora omnia: itaque

Descriptio voluminis A[1].

in Ξ littera exteriores lineae vix longiores media, neque B semper lineam illam infra appictam habet. — In dirimendis syllabis sunt quae peculiaria codex habeat, sunt etiam quae contra sanam rationem admittat. Semper C in mediis vocabulis divellitur ab insequente consonante: ἐc|τίν, Λεωc|θένηc, δεc|πότου, ἀc|φαλέc.*) Porro non modo με|τηλλαχότων, ὑ|παρξάcηc, sed etiam παρ|ών, ἀν|ήρηται. Haec facile tolerantur; sed neque πρώτου|c ἀντιταξαμένουc dirimere sani hominis est, neque προcτῆν-αι, γέγον-εν, ἡγεμόν-α, τοc-αύταc, τοc-οῦτον, ὅc-ον. Aegyptius, credo, homo Graeceque parum doctus, cum in litteram N vel C toties in fine vocabulorum positas incidisset, dormitans ex more suo tamquam finito vocabulo versum clausit. Ad versum explendum eodem illo signo 7 vel semel vel bis posito utitur; praeterea aliquoties etiam lineis transversis longissimis, quarum loco commode totas syllabas vel etiam voces scribere potuisset, praesertim cum illorum versuum litterae quoque mirum in modum distractae sint; itaque ibi alia potius ratio valuisse videtur. Angustiae spatii vel ex minoribus litteris vel ex eo remedium petitur, ut ultima littera proximae superscribatur. Interpunctionem praeter paragraphum etiam lineola punctumve (cτιγμή) in summo versu interpositum significat**); sed maxima neglegentia in hac re librarium versatum esse facile intellegitur. Initio scribendi alacrior fuit; post magis magisque somno oppressus

*) Eadem dirimendi ratio est in breviario illo astronomiae, quod inter papyros a Parisiensibus editos (Notices et extraits de manuscr. XVIII, 2) primo loco positum est. Rationes aperire studui in „Miscellaneis epigraphicis" (v. Saturam philologam Herm. Sauppio oblatam p. 123).

**) Puncta bina (:) cum paragrapho coniuncta habet privatus libellus quem iam supra commemoravi (v. p. X adn. *); puncto solo distinctum est in Iliade Bankesiana; sed id punctum ibi etiam circuli minuti vel semicirculi formam assumit, ponitur autem semper in summo versu. Eadem ratio obtinet in Euripidis fragmento membranaceo IV. fortasse saeculi, quod edidi in Mus. Rhen. 1880 p. 290.

et ubi debebat interpungere omisit et ubi non debebat signa sua apposuit. Neque correxit quisquam, et omnino e maximo numero erratorum paucissima a librario ipso inter scribendum emendata, reliqua intacta manserunt.

Orthographia voluminis A¹.

§ 11. De rebus orthographicis haec monenda videntur. Iota mutum satis diligenter in plerisque locis additum, raro omissum; contra ἐγώι, ἐπιεικῆι quaeque similia sunt nusquam reperiuntur. ЄI diphthongus pro I longa vocali satis frequenter usurpatur, adeo ut etiam semel πολιτικῆc in πολειτικῆc mutatum sit; sed haud minus saepe πολίτηι et τιμᾶν quaeque similia sunt. Ista quidem haud dubie vitiosa, πόλι pro πόλει et ὕβριc pro ὕβρειc et οἰκίᾳ pro οἰκείᾳ, quibus ιναι pro εἶναι accederet, nisi id quidem ipse correxisset. Neque minus vitiosum barbarumque δυναμειν pro δύναμιν positum. — Tum ἐπεδ[εύθηcαν pro ἐπαιδεύθηcαν et αἰωρων pro ἑώρων primo, quod deinde correctum est, et μετε pro μήτε et οικηταc pro οἰκέταc, ac saepius consonantes perperam geminatae, ut ἐλλαττόνων et frequenter γεγέννημαι pro γεγένημαι. Accedit proprium Aegyptiorum vitium Δ mediae T tenuem substituendi, quod etiam in privatis eorum libellis cernitur: πατρίτι igitur legimus et ατου pro ᾅδου, quibus accedunt statim correcta ἄντρα, εὐτοξίαν, ἐφότιον. In universum igitur iudicanti hoc genus vitia in epitaphii libro si non crebriora, foediora certe multo quam in altero reperiuntur.

Aetas voluminis A.

§ 12. Ad auctoritatem autem utriusque quod attinet incorruptamque fidem (nam ista quidem quamvis sint vitia, leviora certe sunt quaeque neminem magnopere morentur) primum omnium aetas codicum spectanda est. Ac de iudicialium quidem trium orationum exemplo Sauppius sententiam dedit, non videri id post medium saeculum secundum ante Chr. natum confectum esse. Colligit hoc ex comparatione aliorum voluminum, quorum aetas certius definiri potest, itaque virum doctum J. B. Lightfoot assensorem nactus est. At cavendum ne nimium tribuamus arti palaeographicae, cum tam remota tempora monumentisque codicum manu

scriptorum paene vacua spectentur; tum formae litterarum uncialium quas dicimus inde a III. ante Chr. a. saeculo usque ad IV. post Chr. nihil magnopere variasse videntur. Itaque equidem nihil de hoc volumine affirmare praeferrem, ni accessisset ceteris eius reliquiis fragmentum indicis alio genere scripturae confecti, quod fragmentum ante hos sex annos Londinii investigavi. Id autem eas quarundam litterarum formas habet, quae in ceteris libellis papyraceis ante secundum p. Chr. n. saeculum fere non usurpentur. Nam et N formam Π litterae induit et Π eam quae Λ propria fuit, et Φ adeo deformatum amputatumque est, ut haud multum inter illud et vulgare Λ intersit: quippe si huius formae laqueum parvulum a sinistra parte addideris dextramque lineam deorsum produxeris, Φ quod dico habebis. Sit igitur hic liber, si me audias, Hadriani vel Antoninorum temporibus conscriptus.*)

Aetas voluminis A¹.

§ 13. Epitaphii codicem Babingto, assentiente Sauppio, ad alterum post Chr. n. saeculum refert; at Comparettius suo iure contendit, ex eo quod deteriora in eo sunt omnia quam in altero, recentiorem esse concludi non posse; itaque si illum, hunc quoque alteri ante Chr. n. saeculo adscribere licere. Ad hanc autem rem disceptandam maximi momenti est genitura illa, quam in altera papyri parte scriptam esse supra commemoravi. De ea qui primus scripsit C. W. Goodwin ex positionibus planetarum ibi indicatis computavit annum spectari post Chr. n. 154.**) Ego quoque cum in hanc rem inquirendum esse ducerem, collegam coniunctissimum G. D. E. Weyerum rogavi ut eam computationem denuo institueret. Sunt autem hae positiones, quae partim diserte leguntur, partim, ubi lacuna haustae sunt, ex ceteris quae auctor addit certo restituuntur: Saturnus in Virgine, 1^{0}. Iuppiter in Virgine, $8^{0}\ 20'$. Mars in Geminis, $6^{0}\ 12'$. Venus in Tauro, $20^{0}\ 45'$. Mercurius in Ariete, 20^{0}. Ea autem non in ipso coelo observata, sed e tabellis astronomicis quales illa aetate fuerunt computata esse recte Weyerus affirmare videtur; itaque ut cum vera aliqua positione exactis numeris congruant fieri vix potest. Duo autem anni intra ea saecula quae omnino in censum venire possunt positiones similes stellarum errantium exhibuerunt: quarum positionum conspectum iam exhibebo.

*) V. quae exposui in Herm. vol. X. p. 24 sq. Tamen V. Gardthausen (Griech. Palaeogr. p. 154) negat ea argumenta ad definiendam voluminis aetatem sufficere videri.

**) V. annales Lepsii (Zeitschr. f. aegypt. Spr.), VI (1868) p. 18.

	Sat.	Iupp.	Mars	Venus	Merc.
A. 95 post Chr. n. d. I. Apr.	$147^{0}\ 44'$	$155^{0}\ 53'$	$58^{0}\ 45'$	$50^{0}\ 21'$	$27^{0}\ 22'$
A. 155 p. Chr. n., d. XV. Maii.	$161^{0}\ 33'$	$176^{0}\ 15'$	$66^{0}\ 51'$	$37^{0}\ 58'$	$28^{0}\ 23'$
Papyrus	151^{0}	$158^{0}\ 20'$	$66^{0}\ 12'$	$50^{0}\ 45'$	20^{0}

Iam cum optio inter duos annos haud difficilis sit, certum esse videtur annum spectari 95 p. Chr. n., et post id tempus cum genituram tum Hyperidis orationem scriptam esse.*) Etenim prius illam quam hanc in charta exstitisse supra demonstravi.

§ 14. Quae cum ita sint, antiquitate uterque liber praeter omnes fere quotquot habemus alios conspicuus est; at nimirum non sola antiquitas bonitatem fidemve facit. Edidit nuper H. Weilius amplum papyrum, in quo praeter alia poetarum fragmenta opusculave etiam Medeae Euripideae octo versus scripti sunt: papyrum scimus annum 161 ante Chr. n. vetustate superare, at Medeae ne unus quidem versus, quorundam versuum ne unum quidem vocabulum incorruptum est. At enim, inquies, istum papyrum non librarius qui proprie dicendus sit conscripsit, sed pueri exercitationis gratia. Id autem ipsum etsi minime in Ardenianum, in alterum tamen Hyperidis librum cadere equidem putaverim,

Fides voluminis A.

*) Δεκανός nomen, quod saepe in genitura usurpatur, pro Latino vulgo habetur; quae si vera opinio est, id quoque vetabit papyrum ad ea tempora quae ante Augustum fuerunt referri.

Ardenianum autem suo tempore plane inter vulgares libros fuisse. Ipse corrector eius orthographica non curavit: reliquit intacta τῇ, πλείωι, δικαστήριαι; semel tantum εἰcαγγελίᾳ pro εἰcαγγελία, semel ἔπειτα pro ἔπειται, semel cυνείλεκται pro cυνίλεκται repositum, et cum ἐπείκεια ἐπεικῆcque bis non tetigisset, uno loco ι omissum adscripsit. Porro semel ν ἐφελκυcτικόν sine necessitate additum rursus deletum est. Quare in his rebus omnibus codici nullam fere fidem habendam esse omnes facile concedent, neque maiorem in eis quae ad dialectum spectant, cum neque ex hoc genere praeter οιομαι loco eius quod fuit οιμαι semel repositum nusquam quicquam correctum reperiatur. At non ideo statim Πειραιῶc pro eo quod in codice est Πειραιέωc cum Cobeto reposuerim, neque omnia ad normam severissimi Atticismi exegerim: quid enim? Hyperidem vel in vocabulis ipsis neglegentiorem num scimus in declinandis eis tam diligentem fuisse? Sic ille, opinor, et loquebatur et scribebat, quemadmodum ceteri eius aetatis Athenienses, quorum usum ex inscriptionibus satis cognitum habemus; itaque quidquid in eis usurpatum videmus, Hyperidi quoque concedamus. Genuina enim Ἀτθίc, si ei fides qui librum de re publica Atheniensium scripsit, iam quinto saeculo commercio peregrinorum hominum infecta erat; quarto autem in civitate, ut Isocratis verbo utar, internecione civium receptione peregrinorum paene ἀντηλλαγμένη vereor ne plane non potuerit subsistere. Itaque nisi quid praeter inscriptionum usum codices peccant, in talibus rebus eorum auctoritatem, quantacumque est, sequamur oportet. Solutae autem formae qualis est Πειραιέωc in inscriptionibus illius aetatis multo frequentiores sunt quam contractae, quas probe scio solas genuinae Atthidis esse. Sed haec fortasse leviora; graviora alia, quae iam ad sententiam ipsam pertineant, atque in eis etsi non librarius, corrector certe Ardeniani libri ea cum diligentia versatus est, ut temere omnia mutandi libidinem nos cohibere vehementer opus sit. Emendavit corrector circiter centum

locos vitiosos, neque usquam de correctionis veritate dubitare licet; quae intacta reliquit aperta vitia, orthographicis illis omissis, triginta numerum vix excedunt. Quorum vitiorum ut genus origoque perspiciatur, haec quae non correcta sunt iam in conspectu ponam. Λογογον (λόγον) Dem. 3, 7; Παινιεύc (Παιανιεύc) 24, 13; ἀλ' (ἀλλ') 33, 15; cυνκατηγορεῖ pro cυνκατηγορεῖν Lyc. 42, 2. En omnia quae ex lacerata voluminis parte vitia colliguntur. Reliqua pars Lycophroneae haec habet: οικειοι pro οἱ οἰκεῖοι col. 3; τούτων pro τούτου et ακουεινκελευειν omisso καί col. 9, οὐ post ᾤου omissum col. 11, αιτιαι pro αἱ αἰτίαι 15; porro μυρρινη pro Μυρίνῃ 14, et cυναπολλυονταc 15 et τηλικια (τῇ ἡλικίᾳ) 12, in quibus vitia librarii imperfecte correcta sunt. Paullo plura exempla Euxenippea affert. Habes perversas nominum scripturas Ἀγηcικλῆc pro Ἀγαcικλῆc col. 19, Αιζηνιεα 38. Porro ειcαγγελιανανδουναι 40 male iterata syllaba, et ιδιον, ut plerisque videtur, contrario vitio pro ἴδιον ὄν 30. Huius simile est ὡc post Παλληνέωc omissum (ut Cobetus coniecit) col. 44, etiam τουτων pro τούτου τῶν 25 et δεινατον pro δεινότατον 41; illius υπηρετεικαικατατηcπολεωc 39, si quidem vitium eius loci in και syllaba abundante positum est. Vix ullum defensorem nactum est μηουταapιcτα 20 pro μὴ τὰ ἄριcτα. Neque defendam equidem vel αυτοιc c. 30, ubi αὐταῖc requiritur, vel αὐτοὺc ὑπηρετοῦνταc 48 pro αὐτοῖc ὑπ., quanquam retinet Caesar. Porro ειcιcαcιν scriptum pro εἰcίαcιν et fortasse γραφαι pro γράψαι 21, οἴεcθε pro ᾤεcθε 22, ταν pro τοῖν et ποιηcαι pro πορίcαι 29, κοcμηcάμενοι pro ποιηcάμενοι 36 (ubi mox sequitur κόcμον), δοκεῖ pro ἐδόκει 39, ην pro ᾗ 46. Denique cum 31 τεταφεναι pro τεθάφθαι ναί librarius dedisset, τ incorrectum mansit. Sunt sine dubio alia vitia magis latentia, quorum tamen numerum ex his quae in propatulo sunt coniectare possis. Ea quae sunt correcta enumerare longum est; itaque hoc addo, bis versum vel plus etiam perperam repetitum, semel versum omissum esse, deinde alio loco pro ὑπ'

'Αλεξάνδρου τοῦ ἐξ Οἴου, quod corrector dedit, a prima manu τουε|ξουου in codice exstitisse; denique πλεονασῃ pro πλησιάσῃ, πολυτιμως pro φιλοτίμως, ουτεθεωνος pro οὔτε ἔθνος, δίκαια pro correcto τὰ παιδία, aliaque complura, quae inscitiam librarii satis superque arguunt. At interpolatus interpretationis causa codex omnino non est*), cum neque scholiorum vestigium exstet neque usquam tale aliquid correctum sit; nam etiam quod D. 39 verba [καὶ] 'Αγνωνίδης a correctore deleta sunt, casu erroreque id librarius peccavisse videtur. Itaque quod Cobetus Eux. 36 in verbis ὡς ἡ χώρα εἴη ἡ Μολοσσία αὐτῆς, ἐν ᾗ τὸ ἱερὸν ἔστιν, ista ἡ Μολ. manifestum emblema dicit vel dialecto convictum, vitium quidem manifestum tollendumque sit, at aliud quid novare non facile in animum induxerim.

Vitia voluminis A^1. § 15. In Stobartiano volumine, quod est multo minoris ambitus, correcta vitia ferme viginti insunt, e quibus quaedam orthographica, alia sane non prorsus levia sunt; sed enim gravissima foedissimaque omnia nemo correxit. Quorum ex amplo numero — nam etiam si mittas ὑπολάβῃ et τῶ et μεικράς et ἔντειμος atque adeo πόλι, plus centum tamen relinquuntur — pauca quaedam generatim disposita enumerabo.**) Omisit librarius litteras finales N et C, scripsitque του pro τούς, το pro τὸν, τη pro τὴν, η pro ἦν, porro ετοις pro ἐν τοῖς, παλι, τολμα pro τόλμαν; etiam contrario vitio ην pro τὴν et ης pro τῆς rursusque εξτων pro ἐξ ὧν. Omissa porro compluribus locis articuli particulaeque quales sunt γάρ et δέ, neque in eis constitit, sed plus semel etiam maioribus lacunis omnia turbavit. Deinde male iteratae syllabae reperiuntur: ουου, συνσυνεληλυθοτες, παρεπαρληλυθοτι, μνημονονευτους, vocabulaque tota, ut πασανπασαν. Casus continuorum vocabulorum similiter formavit: νόμῳ δὲ τῷ τούτῳ

*) Exponit hoc in priore dissertatione Fritzschius; Comparettius non recte contra dicere mihi videtur.

**) Integrum conspectum vitiorum exhibet Cobetus p. 28 sqq.

τρόπῳ, ubi τούτου verum est, atque adeo αλλους τινους et iterum τινους αλλους, quae ipse correxit; at incorrectum mansit ουθενους (h. e. οὐδένας) — — οικειοτερους. Confudit praepositiones πρό et πρός, προδοκώμενα scribens et προσείλοντο, porro ὑπό et ὑπέρ, unde monstrum illud vocabuli ὑπερμεμνηκεναι pro ὑπομεμενηκέναι ei excidit. Foedissima autem omnium πληγασλαμβανειν col. 9, pro quo ego, cum Cobetus totum ut ineptum emblema tollere voluisset, deleto solo πληγας vocabulo συμβαίνει reponendum esse existimavi, et αξαθαι correctum ex αξαθην col. 10 et maxime in col. 12 immania illa: τωνδεηγορμενωνκαλουμενουστουσεπιστρατειανστρασαντας.

§. 16. Atque ut tandem absolvam quaestionem diu inchoatam, ex omnibus quae exposui manifestum esse videtur, non esse hunc librum eo consilio conscriptum, ut pretium mereret. Compone in unum chartae mediocritatem, manum rudem et inelegantem, vitiorum multitudinem, omnia quae id genus commemoravi; adde, si ea non sufficere videantur, quod eadem haec charta alii antea usui inservierat: iam videbis dubitationi locum non relinqui. Itaque dum ex Ardeniani voluminis societate Stobartianum discedit, accedit ad illud quod a Weilio publici iuris factum est. Nam et inelegantiam ibi eandem invenies et manus perinde inexercitatas et vitia non minus frequentia neque minus foeda. Iam cum dubitare nequeamus, quin Euripidis, Aeschyli, ceterorum fragmenta exercitationis gratia a pueris adulescentulisve ibi scripta sint, quidni Hyperidis quoque hunc librarium puerum aliquem scribendo se exercentem putemus? Sed utut id est, fides eius certe perexigua erit, et quidvis ei iure imputabimus. Itaque qui id audacissime fecit Cobetus praecipue magnam laudem meruit, quantum ingenio praeter ceteros polleret plus semel splendidissime ostendens. Quippe non eadem ratio artis criticae in utroque codice exercendae: in Ardeniano cautione magna opus est et propter auctoritatem libri et quod Hyperides in talibus orationibus vel Origo et fides voluminis A^1.

ex neglegentia elegantiam quaesivit; at in oratione funebri quanam auctoritate deterreamur quin quod rectum concinnumque sit ubique restituamus, cum nequaquam in laudatione artificiosa tantum licuerit Hyperidi quantum in orationibus ad actionem oratoris forensis accommodatis?

De explendis lacunis.

§ 17. Pauca addere liceat de ratione qua lacunae utriusque codicis explendae sint. Numquam fere exacto numero sciri potest, quot in spatio aliquo litterae exstiterint, vel propter amplitudinem aliarum aliam vel propter inaequabilem scripturam; sed ea libertas certis finibus coercetur. Si in medio versu lacuna exstat, unam litteram plus minusve quam in superioris eodem spatio facile condones; at non, si in hoc quinque exstant, in lacunam octo satis caute inculcabuntur. Aliquanto plus libertatis in eis lacunis conceditur, quibus initium versus absumptum est, plurimumque ubi finis interceptus, cum librarii et vacuum ibi spatium saepe admittant notisve tantum nihil significantibus expleant, et producant versum extra spatium compendioque scripturae utantur et litteras multo minores faciant. At ne ibi quidem omnia prudens criticus sibi permittet. Denique ne hoc quidem neglegendum, quod in fine enuntiatorum vacuum spatium plerumque relinquitur, quod unam litteram exiguae amplitudinis capere possit.

Subsidia huius editionis.

§ 18. Reliquum est ut de mea ipsius opera adiumentisque meis breviter exponam. Omnia horum voluminum fragmenta praeter Eggeriana ipse contuli, qua in re insigni liberalitate et comitate eorum penes quos erant semper adiutus sum. Babingto quidem hospes coniunctissimus iam a. 1869, cum in eo essem ut primam editionem meam publici iuris facerem, suae editionis Harrisianorum fragmentorum exemplum mihi ultro oblatum transmisit, in quo exemplo quae in eis fragmentis summa industria et cura iterum atque iterum vitri quoque ope inspectis invenerat, ad marginem enotata erant. Ea in Addendis primae meae editionis exhibita sunt. Postea et haec fragmenta et Ardenianum volumen

Stobartianumque bis examinavi, cum probe cognitum haberem, non solum duos homines plus quam unum videre, sed etiam eundem eo plura invenire solere, quo saepius distinctis temporibus conatum repetierit. Sunt autem multa in his reliquiis lectu perquam difficilia, quae quamvis adnitaris, conatum frustrari possint. In aliis vel Babingtoni vel mihi res prospere cessit, multumque inde fructus in Demosthenicam praesertim orationem devenit. Eiusdem Babingtonis comitati debeo, quod iam prior mea editio eis fragmentis, quae eo usque inedita in illius possessione erant, locupletata est. Postmodo et ipsa bis contuli. Sunt autem ambitu parva, usu minime spernenda. Eggeriana porro fragmenta, quae et plura et maiora sunt, Eggeri principis editoris praecipua benignitate statim mecum communicata insigne iam priori editioni incrementum attulerunt. Ea quae ille edidit XII numero fuerunt; tertium decimum postea inventum per litteras mihi impertivit. Ceterum ex eis alia inter se coniungenda, aliud in duo dirimendum fuit. Nempe ea omnia fragmenta ab Arabibus insigni quadam industria una cum aliis aliorum voluminum ita conglutinata erant, ut integri voluminis speciem praeberent; quod postquam evolutum est, statim fraus manifesta fuit. Sed mansit usque post Eggeri editionem duorum fragmentulorum conglutinatio; nunc et ipsa dirempta sunt. Alius ficticii voluminis pars fuit fragmentum Londiniense, quo index trium orationum iudicialium continetur; id ad hanc demum alteram editionem praesto fuit. — Orationis funebris volumen vir mihi amicissimus I. E. Sandys contulit, quaeque ibi invenerat, mecum communicavit. — Denique Babingto, postquam ex me audivit alteram hanc me editionem parare, ultro mihi commentaria sua omnia obtulit, quae ad deperditarum orationum fragmenta aliquando edenda ante multos annos sibi paraverat: unde additamentis non sane paucis neque levibus ea pars meae editionis ditata est.

Ordo fragmentorum orationis I.

§ 19. Nulla autem re magis haec editio a priore differt, quam ordine fragmentorum primae orationis

commutato. Antea ordine a Sauppio introducto usus sum, non quo certum putarem, sed quod alium probabiliorem nullum inveniebam. Atque re ipsa bonitas illius ordinis comprobata est; nam bis vel ter inventum est cohaerere quae Sauppius iuxta collocaverat. Sed ea nimirum est horum fragmentorum condicio, ut nulla humana sagacitas, qua illum abunde instructum esse scimus, ad verum ordinem ubique restituendum valeat. Itaque cum prodiissent Eggeriana fragmenta, patefactumque esset ad primam orationis Demosthenicae partem ea omnia pertinere — quae res etsi non primo obtutu, postea tamen apparuit — concidit aliqua ex parte ordo Sauppianus, novumque in ordinem eumque certum ea fragmenta quae prope principium orationis fuere convenerunt. De reliquis eadem manebat obscuritas; quare etsi necessario eorum quoque ordo mihi refingendus erat, tamen praestare possum multa me perverse collocasse. Opus est inventis aliis voluminibus ficticiis, ex quibus nova fragmenta Hyperidea prodeant; ita fortasse aliquando miseriae levabuntur, quibus adhuc duae primae orationes oppressae sunt.

Conclusio. § 20. In ceteris rebus a prioris editionis ratione vix discessi. Fragmentis deperditarum orationum nova quaedam accesserunt; numeri ne mutarentur curavi. Sed iam notis criticis quibus usus sum omnibus coniunctim propositis explicatisque praefandi finem faciam.

Uncis quadratis ([—]) ea inclusi, quae nunc non legantur, sed exstitisse olim in codice vel certum sit vel satis probabile.

Uncis rotundis ((—)) circumscripta sunt quae librarios errore omisisse putandum sit.

Uncis quadratis geminatis (⟦—⟧) notavi quae errore in codicem pervenisse removendaque esse videantur. Eis tamen quae ad solam orthographiam pertinent hoc signum plerumque non apposui.

Asteriscus (*) eis vocabulis praepositus, in quibus aliud quoddam mendum, neglectis tamen orthographicis, in codice reperiatur.

Litteris minoribus usus sum, ut ea quae neque prorsus evanuerunt neque perspicue exstant designarem.

Punctis in lacunis numerus litterarum quae interciderunt indicatur, quem tamen exactum non esse ipsa res declarat.

Linea transversa (—) interpunctio antiqua, cum paragrapha tum στιγμή, exprimitur.

A = codex trium priorum orationum.

A[1] = codex epitaphii.

B = Boeckh, qui frg. Harris. in „Allgem. Litteraturzeitung" 1848 No. 223—227 recensuit.

Bb = Babington (Or. c. Demosth., London 1850; pro Lyc. et Eux., Cambridge 1853; Or. fun., Cambridge 1858).

Bb[1] = Babington in altera editione or. funebr. (Cambridge 1859).

Bhn. = Boehnecke (Demosth. Lykurg. und Hyperides p. 113 sqq., 1864, or. Lycophr.).

Bs. = Bursian (N. Jahrb. f. Phil. 1858 p. 474, ad or. fun.

Bue. = Buecheler (N. Jahrb. f. Phil. CXI, 1875, p. 307—309).

C = Caesar (editio orationum pro Eux. et Lyc., Marburg 1857; ad. or. fun., Zeitschr. f. Alterth. 1857 No. 84 sq.).

Cb = Cobet (recensio Euxenippeae, Mnemos. II, p. 310; editio or. fun., Lugd. Batav. 1858).

Cb.[1] = Cobet in altera editione (Hyperidis orationes duae, Lugd. Bat. 1877).

Cf = Caffiaux (Hyp. Plaidoyer pour Euxénippe — traduit — avec des notes, Valenciennes 1860; Hyp. oraison funèbre — traduite — et suivie d'un essai de restitution, Valenciennes 1858; ed. II ibd. 1861; recension nouvelle du texte de l'orais. fun., Paris 1866; quelques observations sur la dernière recension du texte de l'oraison fun. d'Hyp. dans la collection Teubner, Journ. général de l'instruction publique, Mai 1870).

